

aspera arteria, inspirando et exspirando exagitur. Sed et in aquis forte dormiunt. Nam et ranae, quarum more sub aquis diu urinantur, longissimo anni tempore, sub aqua latere possunt, ne quicquam de *pulmone* dicam, qui exiguus, spumofus, nec sanguineus *Ingenium* si spectes. Saepissime mitescit, et naturam ferinam deponit, et quod mireris, accipit disciplinam, voceque pariter et visu populum in spectaculis exhibitus salutatur, et incondito fremitu, nomine vocata, respondet, sed et in hominem amore fertur, hac in parte nihil a Delphini natura abhorrens. Visus aliquando vitulus marinus, qui ad principis Christiani nomen gaudio perfundi videbatur, obmutescibat ad Turcae. Is etiam, cujus Rondeletius iconem dedit, in Lerini insulae Coenobio, nullo metu cum hominibus per multos dies versabatur, adeo ut et gradus ascenderet. Damnis apud Philostratum, Phocam a piscatoribus captum, filium quem in cavea pepererat, ita deplorare mortuum vidit, ut per triduum a cibis abstinuerit. Tzetzes vero testatur, cum suis catulis mori, istos cum suis matribus, parentesque senio confectos, in natando juvare. Summa ipsis cum mari *Sympathia*. Pili enim excoriati si mare turbatum in fluctus furrexit, similiter eriguntur; si desedit, in planum sternuntur. Quod cum non crederetur, facto in Indico mari circa Hispaniolam insulam periculo, non amplius fabulosum haberi Carda-

nus asserit. Plinius sensum aequorum retinere, semperque aestu maris recedente inhorrescere scripsit: Rondeletius vero mutationes aëris significare, austrinis ventis furrigi, borealibus ita desidere, ut nullos plane affirmes, saepius observavit. Fulmina et grandines corium prohibere Plutarcho et Palladio proditum. Ideo, et summas velorum partes eo obtegi, et Augustum Caesarem pellem vituli marini perpetuo circumferre consuevisse, et Severum Imperatorem eadem tectum voluisse legitur. Grandini vero obviare Palladius credit, si per possessionis terminos circumferatur, et in villae aut horti ingressu suspendatur, cum malum videaris imminere. Urlos metuere Oppiano debemus, congressos aliquando cum iisdem in spectaculis, Lycostrae rustico apud Calphurnium; fugere et arietes marinos, et forti anhelitu e cavernis extrahi, Aeliano. Negligitur etiam ab infima plebe in *Cibis*. Caro enim ipsius, mollis est, spongiosa, et pinguis, adeo ut liquetur, si diutius manibus contrectetur. In *Medicina*, dextra pinna capiti subdita somnum adfert, quod nullum animal graviore somno prematur. *Pellis* a podagra praeservat, si ex ea calceos gestaveris. Adeps in muliebribus morbis vehementer ab Hippocrate laudatur. *Coagulum* quod evomere dicunt, ne in hominum manus incidat, cum panace, vel succo punici, Comitiales morbos sanat. Caelius Aurelianus tamen id reprehendit.

Plutarch.

Sueton. in Augusto.

Pallad. R. R.

Aelian.

Plin.

Plin. Theoph. H. l. 9. c. 12.

ARTICVLVS VII.

De Manati Indorum.

Hujus piscis nemo veterum meminit, nisi forte Bos sit Aristotelis, quem in Historiis inter Cetacea reponit. Belgae vaccam marinam vocant. Nec incongrue iste dicitur, cum quod capite terrestrem bovem referat; tum quod ejusdem more herbis in terra pascatur. Utri est similis, ideo foedissimus aspectu. Caput habet bovis instar, Oculos exiguos, Pedes circa caput binos, cras-

fos tanquam alas brachiorum loco, quibus natat. *Aurium* loco duo foramina exigua quibus audit. *Lapides* seu ossa in cerebro bina parvae pilae palmariae magnitudine, orbicularia. Circa *caudam* strictior est et quasi praecinctus, quae etiam ab inde ad extremum tota conspicitur nervosa. Foeminae duo sunt ubera in pectore, quibus catulos lactat. *Corium*, quo integitur, est simile ustulati porci corio,

Tab. XLIII. Arist. H. A. 6. c. 11.

Lopez Hist. Amer. c. 13. Mas. Exot. 6. c. 19.